UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam|| Ex Egregiis Manvscriptis Codicibvs, Qvarvm permultæ antehàc nunquàm in lucem prodiêre

Complectens Sanctos Mensivm Novembris Et Decembris

Surius, Laurentius

Coloniae Agrippinae, 1576-

VD16 S 10263

In Imaginem Reverendi Patris Lavrentii Svrii Carthvsiani, Optime De Christiana Rep. Meriti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-77423

Visual Library

IN IMAGINEM REVERENDI PATRIS LAVRENTII SVRII CARTHVSIANI, OPTIME DE CHRISTIANA REP. MERITI.

Effigiem SVRII dum cernis, candide Lector,
Quin capiat tanti fructus amorq́ viri?
Qui lucrum duxit, mundo latuiſſe ſuperbo:
Delicias, caſta mente vacaſſe Deo.
Ecce recedentis ſequitur nunc gloria tutam
Virtutem, nullis ſat celebranda typis.
Clara LVBECA neci genuit, ſed carior illi,
Qua patet ad vitam, ſedula cura fuit.
Huius ob eximium quo conflagrabat amorem,
Saluifico triuit commoda vana iugo.
At licet obſcuro, ſed ſacro tecta receſſu,
Non potuit ſoli lux micuiſſe ſibi.
Nanque domi fratres virtutum lampade luſtrans,
Edocuit ſummo reddere vota patri,
Quando erat in SVRIO ſacri ſpectaſſe laboris
Exemplar, placidam mente referre facem.
Omnibus vt, Pauli iuxta decreta, ſalutis
Anſa foret, cunctos, omnia factus, obit.
Nec generoſa domi Virtus ſe paſſa recludi,
Protulit oppleto munera larga ſinu.
Quot docet atque monet Stygiam vitare paludem?
Quótve pio mollit pectora dura foco?
Quot dedit afflictis rebus patriæq́ ruinæ
Fulcra? quot hæreſeωn monſtra nefanda domat?
Dum ſermone colens Latio monimenta piorum,
Eximias ſanè ſuppeditauit opes.
Sanctorum præclara quid eſt certamina magnis
Sex celebrata Tomis quòd dedit vna manus?
Septimus adiungi dum cœptus, turba beata
Cælicolûm ſtudijs præmia digna parans,
Sat Superis factum, dixit, donetur Olympo,
Emeritũ noſtris inſere CHRISTE choris.
Nec mora, præſilẽs SVRIO mors prompta ſedenti,
Intrepidum ad Superos cuſpide pandit iter:
Liber abi, dicens, celebratis iungere Diuis,
Et cape nunc meritis ſerta dicata tuis.

IN IMAGINEM ET LIBROS SVRII.

EST aliquid SVRII ſpectare in imagine vultus,
Quos ſpatio exiguo ſcalpta tabella refert.
At SVRII Libros, magna quos texuit arte,
Qui legit, ingenium cum pietate videt.

OBIIT ANNO DOMINI M.D.LXXVIII. DIE XXIII. MAII.

NOVEM-